

Mathematicus, vix ferre potuit quòd plures Botanici assumerentur in societatem; sed solos puros Mathematicos exoptabat. Non dubito quin priores litteras acceperit, sed noluit reddere; ego jurejurando dixi, me nunquàm daturum ad Academiam observationem, antequàm haberem intimum meum amicum; steti promissis integro anno. Ultimò responsorias habui ab Academiâ, quòd omnes unanimi ore te exoptârunt, et mirati fuère quomodò factum erat, cùm te ante annum petierant.

Nunc, dùm scribas, te, *Membrum Academiae Stockholmiensis* tutò et certissimè scribas; mandatum datum est à Societate, ut Secretarius ad te litteras invitatorias mittat, et novo anno nomen tuum inseratur Actis inter Membra Academiae. Idem facit Secretarius cum Gleditschio *, Gmelino, aliisque; sed hoc fero lubenter, modò non lædant me per amicum integerrimum.

Si velit D. Magnol, lubenter recipietur in Societatem Regiam Upsaliensem; fac ut sciam, nùm ipsi hoc placeat.

Doleo quòd non licuit ad te mittere Acta impressa hoc anno, in quibus breves habentur tuæ

* GLEDICHT (J.-THÉOPH.), célèbre naturaliste de l'Académie de Berlin, 1714-1786. Linné fut en correspondance avec lui.